

AMICVS FIBRI

Versibus hexametris scriptum

Verus amicus splendenti est pretiosior auro;
verus amicus rarior est clarisque smaragdis.
Ad cenam magnam fiber invitavit amicos.
“Quaeso, intrate domum!” dixit, “Iam cena parata est.”
Sumpserunt igitur sapidam cum castore cenam.
Talia dicebant complentes pocula vino:
“Nos sumus hic quia te, dulcissime castor, amamus.”
(Sed tantum ventres vacuos implere volebant.)
Post paucos menses, tempestas magna coorta est.
Arbor flectitur huc, nunc arbor flectitur illuc.
Iuppiter iratus percussit fulmine tectum
castoris, atque domum rex caeli perdidit igne.
Ex flammis fiber elapsus, fuit integer. Is tum
“Me miserum!” dixit, “Sine tecto quomodo vivam?
Cur petis insontes mortales, Iuppiter, igne?”
Castor maestus, nunc sine sede, vocavit amicos.
“Auxilium mihi ferte! Mei vos estis amici?
Cenam sumpsistis mecum.” Sic ille locutus.
Dixit quisque “Fiber, mihi sunt negotia multa,
atque domum non est mihi tempus ad aedificandam.”
Hi tum coeperunt discedere, sed tamen unus,
ecce, manebat, qui “Ne desperaveris!” inquit,
“Auxilium tibi ferre volo, carissime castor.”
Castor “Quam probus es!” dixit, “Tu es verus amicus.”